gumenta ſuppeditarent. Seſe ad omnium pedes demittit nonniſi ægre, & moleſte fert aliorum obſequia ſuæ dignitati delata, quæ ſi palam deferri patitur ſibi, domi tamen ſuæ, præfectiſque ſuis vetat. Excellentiæ, celſitudinis, majeſtatis tituli, injuriæ, quibus laceſſitur, videntur. Pauperes, & qui nullo habentur in pretio faciliorem ad illam aditum inveniunt; & ſingulari voluptate gaudet ingenitam hanc Principibus viris, ac potiſſimum feminis ambitionem, ubi ad honorum apicem attolluntur. Hic ſenſus humilitatis, quo fiebat ut inceſſanter ſe ſe coram Deo annihilaret, abſtulerat illi omnem faſtum, ac pompam Supremæ auctoritatis, cumque nulla re renideret niſi forte modeſtia ſua, omnem gloriam ſuam in eo collocabat, ſi ad abjectiſſima caritatis munera ſe ſubmitteret; totaque ejus induſtria verſatur in excogitandis ad id cauſſis, & aucupandis occaſionibus.

Exuit ſe omni ornatu dignitatis ſuæ.

Illuſtris hæc Virago videns ſe ad editiſſimum honoris apicem ſublatam, abjecit cultum omnem, qui illam ſecernere potuiſſet a tenuiſſima aliarum vulgo mulierum conditione. Quapropter non ſine conjugis ſui conſenſu, quidquid opum ſecum attulerat ex Pannonia in pauperes erogavit, & diſtractis lapidibus pretioſis, & margaritis, quibus Genitrix ſua domo egredientem ornaverat, vel oneraverat potius, inter quos numerabantur plures coronæ, ac diademata, quorum pretium vix æſtimari potuiſſet; hæc omnia reſpexit tanquam devicti a ſe mundi manubias, nonniſi in caritatis uſus expendendas. Millies abjecit veſtimenta ſua ita ut nullum dignitatis ſignum retinuerit. Licet paſſim pietas ejus refulſerit, hoc tamen facinus eſt heroicum, & minime prætereundum.

Acta memorabilia Sanctæ Eliſabeth.

Inſigni quodam feſto die incedebat illa magnifica concomitantium caterva ſepta, mundo ornata muliebri, capite coronam geſtans. Eccleſiam ingreſſa eſt, ac primum quod oculis ejus occurrit objectum fuit Chriſtus Jeſus propter amorem ſuum ad crucis nuditatem redactus. Adeo triſti objecto perculſa aperit coronatum caput, & efficiens oculos ſenſuum ſuorum interpretes lacrimis manat ſibimet per intervalla dicens: Hic eſt Creator meus, Redemptor meus, & Deus meus, ille expirat in cruce, nonniſi ignominia Calvarii tectus, & ego miſera in illius templum prodeo induta purpura, & pretioſis lapillis ornata? Spinea corona, & cruenta illius caput obruit, meum vero auro, & argento renidet? Illum ſui deſerunt diſcipuli, Judæi contumeliis afficiunt, ego vero color ab omnibus, omnes mihi obſequuntur, & frequenti aulicorum cœtu ſtipata ſum? Hæccine illa eſt reverentia, qua Deum veneror? Hanc illi habeo gratiam? Hunc amorem amori ejus rependo? Ita ſecum Eliſabeth; ſed dolor vocem jugulat; expalleſcit, languet, deficit; neque alios habet ſenſus coram Deo, coram quo ſe exinanivit. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Inſignes illius eleemoſynæ.

Nulla unquam viſa eſt caritas magis heroica, regia, & Chriſtiana, quam in Eliſabeth. Cum atra fames Germaniam univerſam affligeret, occaſionem arripuit ex Conjugis ſui abſentia diſtribuendi Turingiæ, Haſſiæque pauperibus fruges omnes, quæ in ditionis ejus agris fuerant demeſſæ; utque pauperibus adimeret laborem aſcendendi in arcem Marpurgenſem, quæ in editiori jugo eminebat, juſſit in ima parte xenodochium ædificari, quo pluries in diem ſeſe conferebat, ipſa coram pauperum egeſtati ſtipem latura. Horum lectulos ſternere videbatur, aliis miniſtrare dapes, omnibus cum zelo & ſollicitudine ancillari, quapropter deinceps pauperum mater appellari conſuevit. Diebus ſingulis nongentos coram ſe alebat, præter eos, qui ad ejus nutum in ipſius ditione alebantur.

Pii ſenſus Landgravii ubi audit conjugis ſuæ eleemoſynas.

Landgravius redux ex Apulia ſtatim ſe a Quæſtoribus ſuis obſeſſum vidit apud eum conquerentibus de profuſa eleemoſynarum Regiæ conjugis effuſione: ſed Princeps hic, quem uxoris exemplum effecerat unum ex iis, qui pietate clari in orbe chriſtiano florebant: me nec pudet, nec pœnitet, ait, quoniam oppida, & arces meæ mihi remanſerunt; & certus ſum donec integrum uxori meæ reliquero pauperibus eleemoſynas erogare, nihil mihi unquam defuturum. Dignos tanti Principis ſenſus, cui jure optimo additus fuit titulus Ludovici Pii. *P. Croiſet.*

Die quadam cum ad ſollemne convivium properaret, accidit auribus ejus vox pauperis cujuſdam eleemoſynam deprecantis. Cum nihil ſecum haberet illa, quod præberet, dixit ei, ut patientiam haberet, ſe quamprimum ei opitulaturam: ut pauper moræ impatiens illam obteſtabatur, ne præteriret, quin egeſtatis ſuæ miſereretur; quibus verbis ita ſe affectam miſericordia ſenſit, ut pedem ſiſteret, eique ducale traderet pallium lapidibus onuſtum pretioſis, & pro maximis cæremoniis reſervatum. Arripuit illud pauper, ſtatimque ſe ex regiis ædibus proripuit; factumque inter ſodales enarravit. Interea Princeps egreſſus eſt, ut occurreret uxori, cui dixit, Ecquid igitur actum eſt de pallio tuo, conjux? En illud de collo ſuſpenſum, reſpondet illa; Princeps ad hæc oculos admovet, & manus; illud videt, atque attrectat, ac illud ipſum eſſe credit, quod dono dederat, cogitare non valens, pauperem illum, quin id Religioni ſibi verteret, ornatum adeo pretioſum auferre ſibi potuiſſe. *Pater Croiſet, & Auctor omnium Sermonum in hoc argumento.*

Extremus Caritatis ejuſdem exceſſus.

Redditus illius cum ſufficere non poſſent largitatibus ejus; vendidit margaritas ſuas lapilloſque pretioſos, ſed in caritatis auctionem, in qua diſtribuit veſtes, ac pretioſam ſupellectilem patribus, matribuſque familias, ut inde pecuniam referre poſſent, qua domos ſuas ſuſtinerent. Ne me cogatis iterare quoties ſe ſe exuit, ut nudos indueret; quoties de menſa lances auferri juſſit, ut ad ægros noſocomii tranſmitterentur. Non vacat mihi ad calculos revocare ingentem auri, argentique vim, quam in hoc caritatis commercium effudit; ſed vos ipſi nonnihil conjicere poteſtis ex iis, quæ hactenus dicta ſunt.

Si Pauperes glebæ ſunt uberes, juxta S. Pauli ſententiam, in quas effundit Deus benedictiones ſuas, quam felices meſſes hæc retuliſſe mulier credenda eſt, quæ illas excoluit, & tanta cura ſevit: *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Itaque in hoc commercio Sancta Noſtra nacta eſt omnes has ſpirituales divitias, ſublimem hanc orationem, conſcientiæ puritatem, profundam humilitatem, invictam patientiam, incenſam caritatem, & omnes eminentium virtutum teſauros, quibus Deus illius animam locupletavit. Si mihi vacaret, uterer modo exemplo Sanctæ hujus ad ſæculi divites confundendos, quibus clauſum cor eſt, immotæque manus erga pauperes. Divites ſibimetipſis crudeles, quandoquidem de illis tantum ſolliciti, quæ corpori inſerviunt, oderunt animas ſuas eſurientes, nec aliquid illis in æternitatem parant, S. Leo inquit. *P. Texier.*

Mortificationes & auſteritates S. Eliſabeth in Aula.

Si qui in Mundo nitent, ſuapte natura ad ſuperbiam, ambitionem, & hanc opum congerendarum cupiditatem feruntur, ut ſuis ſatisfaciant affectibus; non minus proni ſunt in ſenſuum voluptates, & credunt genus ſuum ſibi jus præbere ducendi vitam mollem, & impudicitiis inquinatam, vel ſaltem illos a pœnitentiæ ſeveritatibus diſpenſare; ſed hoc, quod tanquam gratiæ miraculum habendum eſt in Principe noſtra, hoc eſt, quod non ſolum ſibi omnes Mundi illecebras interdixerit, verum etiam omnis mortificationis, & maximæ auſteritatis genus exercuerit in Aula, quæ ſedes eſt voluptatum omnium, & deliciarum. Ibi enim occaſiones lædendi Deum frequentius occurrunt; ibi exempla legem, & conſuetudinem efficiunt, cui ſeſe conformat quilibet, & ibi vitia imperium exercent. Non ne illic ex S. Ambroſii ſententia, mors, videlicet crimen per omnes ſenſus ingreditur? ubi virus oculis, auribuſque excipitur, & peculiari Cæleſtis gratiæ ſubſidio opus eſt, ut morum ſervetur integritas? Sed ad ſanctitatem ibi adquirendam, ad exercendam ibi chriſtianam perfectionem, non ne gratiæ prodigium requiritur? Hoc proculdubio in Sancta Eliſabeth admirari debemus, in qua crucis amor, & deſiderium imitandi Deum crucifixum omnino vicerat hoc ſtudium, quo Summi Principes in voluptates omnes feruntur, illudque converterat in inexplebilem aviditatem torquendi corpus ſuum graviſſimis auſteritatibus, ita ut ſi ſecuta fuiſſet devotionis ſuæ fervorem, & niſi timuiſſet, ne Dei voluntati adverſaretur propriam tantum mentem conſulens, næ illa brevi finem feciſſet vitæ ſuæ nimiis pœnitentiæ rigoribus, jejunia, vigiliæ, cilicia pro nihilo fere habebantur. Vita ejus jugis erat abſtinentia inter lautiſſima convivia mira cum arte mortificationis, ſi ita dicere fas eſt, quoniam multo glorioſius eſt, atque difficilius in varia cupediarum copia ſe abſtinere, quam in paupertate ſua victu parco eſſe contentum. Aſperæ ſetæ, quibus carnes ipſas tegebat, cum ſe ſe comere, & regio apparatu prodire tenebatur, ſolatium erat moleſtiæ, qua afficiebatur inani hac in luce proditura; & cruenta flagella, quibus corpus ſuum ſæviſſime lancinabat, quodammodo reparabant jacturam, quam ſe ſubire putabat inter innocuas delicias, a quibus abeſſe non poterat. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Cura infirmorum, quam gerit S. Eliſabeth in Noſocomiis.

Uſuvenit ſæpe, S. Hieronymus inquit, ut Principes viri aliorum miniſterio exerceant eleemoſynam, & ad noſocomia ſuas mittant largitates, quin ipſi illuc pedem inferant, eiſque propria manu ſubveniant. Quare? quia nimis molles ſunt, ideoque ferre nequeunt aſpectum, & fœtorem ulcerum, atque imagines mortis, quæ in hujuſmodi exercitatione paſſim occurrunt: *Scio multos divites ob ſtomachi anguſtiam exercere miſericordiam per aliena miniſteria, & clementes eſſe pecunia, non manu.* Sed valetudinis ratio, naturæque mollities non obſtat quominus Eliſabeth ipſa per ſe in valetudinaria ingrediatur, pauperum lectulos cernat, illos propriis manibus abluat, tergat ulcera, ſaniem detergat, quin viventium cadaverum horum, ac putreſcentium membrorum tetra lues illius ardorem imminuat. Heu! videt illa Jeſum in his miſeris latentem, & propter ejus amorem ſua bona, ſuos honores, & ſe ipſam caritati ſacrificat. *Biroat.*

Idem ſequitur argumentum.

Integros traducebat dies in pauperum mapalibus, in tetris carceribus, in noſocomiis turpem odorem efflantibus, quorum fœtor omnibus quæ illam ſubſequebantur officiebat vel maxime, cum illa interim languentium vulnera attrectaret, leproſorum ulcera deoſcularetur, illis cibum miniſtraret, lectuloſque ſterneret ridenti vultu, & incredibili cum voluptate. Deliciæ illius erant curam gerere puerorum impetigini, puſtuliſque, aliiſque malis laborantium, qui horrorem ejuſdem excitare debebant. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Admirabimini profecto, ubi hanc Regis filiam, Cæſarum conſanguinitate nitentem, ac tot populorum dominam, videbitis verrere ſordes, ſternere cubilia, brachiis ſuis geſtare pauperes ulceribus tabeſcentes, attrectare vulnera, mortuis parentare, & preces eiſdem procurare. Ne ſpectetis ultra quæſo; avertite oculos ab objecto, quod ſpectari non poteſt cum voluptate niſi ab oculis Dei, & Angelorum. Quomodonam poſſetis intueri citra ſtomachum Principem hanc mulierem, ſuper genua tenentem parvulum ulceribus tectum? Poſtquam huic noctis vigilias impendit, & novies ſuis impoſitum

tum

tum cervicibus bajulavit tenet illum complexa ſinu, ad abſtergendum pus diffluens ex putreſcentibus manibus ejus; cumque fœdaſſet linteum, quod præ manibus habebat, utitur velamine, quo caput ſuum erat involutum ad tergendum vivum illud cadaver adeo infectum, ut præter S. Eliſabeth, nemo eſſet, qui ad illud accedere auderet.

Ejuſdem argumenti.

Quis dicendo aſſequi poſſet victorias, quas de ſe reportavit, in ingenito hoc horrore, quam hujuſmodi cient objecta, & in adeo gracilis temperamenti ſui conſtitutione? Quam artem excogitavit illa, ut & caritati ſuæ ſatisfaceret, & deſiderium ſemet ipſam vincendi ſuperaret? Juſſit clam in ſuas ædes inferri alterum quidem horridum aſpectu, cujus viſcera fames depaſcebatur, & alterum, cujus caput turpi morbo abſumebatur, ad ſordium cruſtam redactum. Hunc illa propriis manibus abluit, & detergit, illum etiam paralyſi laborantem, & ſanguinis fluxu ad maciem confectum, omni juvat auxilio, quod mente facilius concipi poteſt, quam deſcribi in contagione mali, & in paralyſi, in qua ægrotans nullam per ſe opem invenire poteſt, & alios cura liberare.

Introduxit in cubiculum & Landgravii abſentis cubile leproſum, qui tandem Mundi Salvator deprehenſus eſt.

Alia vice, cum vidiſſet leproſum ita deformem, ut ipſa etiam exhorruerit, conſiderans ſe nihil unquam facere ſatis poſſe pro Salvatore Mundi, quem in perſona ejus contemplabatur, hunc in regias ædes juſſit deferri, ut illius gereret curam, & ſuccenſa viva fide, quæ efficere debet, ut Dei Filium in mortalium omnium miſerrimo intueamur, illum collocari voluit in Principis abſentis cubile, qui cum opinione citius poſtliminio reverſus, conjugem hanc in occupatione deprehendiſſet, iram, furoremque non diſſimulavit; ſed cum vix exorſus eſſet hanc adeo indiſcretam increpare caritatem, pro paupere invenit ipſum Dei Filium ſub pauperis forma latentem, qui ſe palam cognoſcendum præbuit, dixitque illi verba eadem, quæ olim dixerat S. Paulo. Me igitur perſequeris, Princeps, improbans caritatem, qua me tua conjux excepit? Meliorem ſane patronum invenire non poterat Eliſabeth, neque validius argumentum, ut perſiſteret in his operibus caritatis, ſimulque mortificationis, quarum vita ejus non aliud fuit, quam jugis exercitatio, quæ confundet aliquando mollitiem tot mortalium, qui ſibimet vim nequeunt inferre, quorum corpora deliciis aſſueta omnia auſteritatis genera perhorreſcunt, ſibique perſuadent vitam inertem, ſolatiis, & voluptatibus deditam ipſorum conditionem decere. Heu! quid reſpondebunt Principi huic mulieri, quæ in tam ſublimi gradu, in quo genus, atque dignitas ſua illam collocaverant, minime credidit, ne breve quidem vitæ momentum vacuum eſſe debere mortificatione? Verum ſi illa Deo ſemper fidelis fuit in proſpero rerum ſuarum decurſu, non minorem illi præſtitit fidem in varietate fortunæ, & in ærumnis, quæ illius animum exercuerint. Certamen forte dedit illi, ut vinceret. (*Sap.* 10.) *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Scire ne vultis, quænam extiterit Duciſſæ hujus noſtræ mulier maxime familiaris, & amica? Hiſtoria vitæ illius nos edocet, pauperem fuiſſe mulierculam lepra contectam, quam ab aliis ægris ſepoſuerat in noſcomii angulum, quia nemo illius aſpectum ſuſtinere poterat. Ad cervical lectuli hujus S. Eliſabeth noſtra ſuaviſſimas diei horas traducebat; huic offam ori ingerebat, hæc objectum erat curarum frequentium, & aſſiduarum illius. Quid Principem mulierem ad actus adeo heroicos impellere valuerit, fides fuit. Fides autem quibus potiſſimum nitebatur fundamentis? Verbis nempe, quæ ex Veritatis ipſius ore prodierunt: Quod minimis ex meis feceritis, hoc mihimet factum putabo. Infirmus fui, & viſitaſtis me. Heu! quandoquidem ſumus omnes Chriſtiani, cur non eamdem fidem habemus? Numquid hæc eadem verba non legimus, & auribus noſtris non audivimus? an nunquam in noſocomium ſumus ingreſſi? Quare cor noſtrum faſtidit pauperis intuitum, & ægrotantis odor gravis, & non ferendus eſt? Fortaſſe nobis æneum cor eſt, & viſcera ferrea, noſque aſpectu ærumnarum proximi noſtri affligamur. Heu! Novi equidem quid cauſſæ ſit. Fides noſtra mortua eſt, neque ſatis unquam meditati ſumus hæc verba Evangelii: *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare; infirmus fui, & viſitaſtis me.* Nunquam ſatis didicimus ſublimem hanc Teologiam, quæ in pauperum perſona deliteſcit: *Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem*, *P. Texier.*

Perſecutiones, quas paſſa eſt S. Eliſabeth poſt obitum Viri ſui.

Quamvis vita ejus non aliud fuerit, quam non intermiſſa perſecutionum ſeries, & jugis heroicæ patientiæ exercitatio; tamen hæ in eam detonuiſſe videntur poſt Viri ſui Principis obitum: hoc enim fuit veluti ſignum, quo dato erupit odium ſocrus, & invidia ſororis Viri ſui, quæ ſtatim omnem iracundiam in eam evomuerunt. Nondum abſterſerat lacrimas, quas ſuaviſſimi conjugis ſui obitus ex oculis ejus elicuerat; & vix vacaverat illi offerre Deo ſui doloris ſacrificium, cum perſecutiones contumelioſiſſimæ ſubſecutæ ſunt acerrimos dolores, quibus erat confecta. Sperabat futurum, ut morte Principis ſua vincula infringente, ſaltem libertatem aſſequeretur, ut dicere poſſet Deo cum Propheta; *dirupiſti vincula mea.* (*Pſalm.* 115.) Una hæc mihi ſupereſt cogitatio, ut me tibi uni devoveam Deus, ſine ulla cordis mei diviſione; ſed ſtatim intellexit, omnem etiam ſpem ſuam ſibi in uno illo collocandam eſſe, quoniam vidit ſe ſimul a propinquioribus deſtitutam, qui infeſtiſſimi facti ſunt ejus perſecutores; & ex ditionis ſuæ poſſeſſione dejecta, credebat fore, ut vita privata illam tueretur ab odiis mortalium, atque telis adverſæ fortunæ protegeret, & hoc ipſum cauſſa fuit, ut inimicorum furorem evitare minime potuerit. Denique Regularem vitam amplectitur, ubi putat ſe inventuram perfugium; & ibi ejus patientia graviſſimis tentationibus exercetur. Ecce igitur exemplar conſtantiæ in omnibus diverſis vitæ ſtatibus, per quos eam deducere divinæ placitum fuit Providentiæ. Admiramini Dei de juſtis ſuis conſilia, & intuemini quomodo ſeſe gerat cum iis, quos amat impenſius.

Narratio perſecutionum quas Sancta paſſa eſt poſt mortem viri ſui.

Hæc perſecutio incepit a conſanguineis ſuis, Illi, quos Principis auctoritas, dum viveret, in officio continuerat, & quorum vix frænaverat cenſuras, & contumelias, & qui nihil inauſum, atque intentatum reliquerant vetituri, ne illam duceret in uxorem, modo palam vim faciunt, ut illius filios a paterna hereditate prohibeant, & matrem amoveant a regimine ditionis, & ab educatione filiorum, Commovent Henricum demortui Principis Fratrem futurum injuſti hujus conſilii caput, atque miniſtrum. Os illi ſubliniunt dicentes repræſentationem, videlicet jus ſucceſſionis, quod habent filii ad bona Patris, locum non habere in Turingia; neque illum primum fore, qui excluſis nepotibus in Principatum ſucceſſerit poſt fratrem primogenitum, Ejiciendam eſſe tantum Eliſabeth, & pleno jure adeundam eſſe poſſeſſionem bonorum Principis, qui obierat, Conſilium captum fuit; fit edictum, & ſtatim in arena adimpletur; ſed quanam impotentia? qua inhumanitate? Nocte concubia ingrediuntur ejus cubiculum; jubent, ut ipſo temporis articulo ſeminuda egrediatur, prohibent ne quid ſecum auferat, & negant illi tempus, quo rebus ſuis maxime neceſſariis conſulat: turpiter illam ejiciunt de regis ædibus, ſine præſidio, & duabus vel ad ſummum tribus ancillis concomitantibus, quæ omnia clamoribus, & femineo complent ululatu. Hoc in ſtatu, qui duriſſima etiam corda flectere poteſt, abeunt errantes per tenebras noctis de domo in domum oſtiatim, quin aliquem inveniant, a quo caritatis titulo excipiantur. Pulſant, orant, ſe cognoſcendas tradunt, per ea quæ ſanctiſſima ſunt obteſtantur, & patheticis verbis deprecantur, ut ea nocte liceret Dominæ ſuæ apud eos diverſari. Alii eam repellunt, alii aures obſtruunt his clamoribus, alii eam probris, & contumeliis afficiunt eo uſque ut tandem invenerit ſtabulum derelictum, quod illi eſſe poſſet perfugio; & quod illi revocat in mentem, glorioſam Dei Matrem ad ſtatum eumdem olim fuiſſe redactam, & ſimile diverſorium ingredi coactam.

Adorabilis Dei Providentia ubi es? Ita ne fideliſſimos amicos tuos deſeris? Non ita, Fideles, non deſerit illos, ſed probat, atque ut virtus eorum majori in luce refulgeat, videtur ad tempus deliteſcere. Duro huic certamini objicit S. Eliſabeth, quæ plus quam humanam præfert fortitudinem. Ingreditur illa in hoc exile tugurium, tamquam in ædes magnificas, conſolatur ſocias infortunii ſui, animos illis addit, eaſque excitat ad ſuſtinendum propter Deum. Quod ſpectaculum eo jucundius eſt in oculis Dei quod illa non æquo tantum, ſed libenti etiam animo, ac ſumma in Deo patitur confidentia creatoris ſui adorans imperia, in hoc ſtatu, qui animam labefactare poſſet minus fidelem, & minus ſolide in virtute conſtitutam. Nec temere hoc affero: cum enim aliquot traduxiſſet horas in hac deplorabili calamitate, nolæ cujuſdam ſonitu admonita ingreditur templum Religioſorum S. Franciſci, & jubet concini in gratiarum actionis argumentum Hymnum Sanctorum Ambroſii & Auguſtini poſt ſtatus ſui, bonorumque jacturam, cum paſſim Hymnus ille poſt relatam victoriam aliquam vel poſt inſigne aliquod beneficium divinitus acceptum cani conſueverat. Itaque nunquam inſigniorem retulit victoriam, nunquam gravius certamen ſuſtinuit, nunquam locupletiorem coronam poſſedit, nunquam majorem triumphi honorem promeruit, quam hac conſtantia, & heroica fidelitate in miſerrima, quæ unquam acciderit fortunarum omnium perturbatione.

Dolor quo confecta eſt videns filios ſuos conſortes calamitatis.

Hoc tamen non fuit niſi quoddam principium procellæ, & ut ita loquar, primum patientiæ ſuæ experimentum, quod nihil ducebat, cum ipſius tantum perſona læderetur. Sed ecce graviores ictus, qui majorem illi dolorem inferunt. Hujuſmodi fuit aſpectus Principum filiorum ſuorum, qui in craſtinum ad illam adducti fuerunt conſortes futuri miſeriarum genitricis ſuæ, vel illas duplo majores effecturi; quandoquidem parvula eorum ætas non patiebatur, ut hi illas cognoſcerent. Omnis ergo amaritudo reſervata fuit cordi Eliſabeth, quæ interdiu a ſubditis ſuis melius accepta non fuit, quam noctu fuerat. Timor enim eos prohibet ne operam ſuam illi impendant, quam ne miſerrimo quidem chriſtiana caritas negat, & ſi perſecutoribus permittentibus unus vel duo tectum illi ad aliquot ſuppeditant dies, hoc tanta accidit cum indignitate, ut coacta fuerit in priſtinum reverti ſtabulum; & precibus opus fuit, ut ibi diutius ei permanere liceret. Tunc commota fuerunt viſcera ejus, & propriæ calamitatis oblita experta eſt dolores omnes, quos amoris materni affectus poteſt ſuſtinere. Non panem, neque victum invenit, quo filios natu majores alat, non lectulum, neque incunabula, ubi minoribus cubitum ſternat. Gravis eſt hyems, & in ſtabulo, undequaque fatiſcente, non eſt quomodo frigus arceat, quo tenelli eorum artus indurantur. Hoc magnam labefactaſſet matris conſtantiam, niſi ejus in Deo confidentia illam confirmaſſet. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Timor, ne novi Principis gratiam quis amitteret, fecit, ut neminem inveniret, qui domum aut diverſorium ei concedere vellet. Diurnas horas tranſigebat in templo, nocturnas

nas

nas vero in quadam equilis ſpecie, quo nonnumquam concedebant mendici, ſine alio commeatu, quam fruſtis aliquot panis, quæ illi clanculum ſuppeditabantur. In tanta rerum omnium mendicitate ac miſero ſtatu, interius gaudium tot indigna mala ſuperabat. Sanctus quidam Sacerdos miſericordia ductus illam domi ſuæ recipere voluit, videns illam ab omnibus ejectam, ab iis etiam Noſocomiis, quæ ipſa inſtituerat; ſed illuc vix pedem intulit, cum per impotentiam fuit ejicienda. Ita Regis filia, conjux potentiſſimi Germaniæ Principis, pauperum omnium parens ad incitas, & ad abjectiſſimum egeſtatis ſtatum redacta fuit. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Quis denique enumerando recenſere poſſet contemptus, irriſiones, & contumelias, quas a ſuis ſubditis hauſit, in miſera hac abjectione, quæ diu ſatis permanſit? Vos ipſi judicium feretis, ex quodam hiſtoriæ ipſius loco, quod citra indignationem legere nequeo.

Calamitoſa quædam mulier, cui Princeps femina olim ægrotanti tulerat opem, & quam ex mendicitatis ſordibus eduxerat inſignibus eleemoſynis, obviam illi occurrit lutulento in loco. Eliſabeth, quæ jam proceſſerat deambulans per tabulam, quæ ibi ad tranſitum faciliorem fuerat poſita, ubi vidit mulierem illam ex adverſa parte gradientem, & viam perangustam, rogavit illam, ut paullisper expectaret, donec ipſa evaſiſſet. Sed mulier impudentiſſima citato gradu corripuit iter, factoque in ipſam impetu impulit eam in cœnum ſordibus plenum, ibique ſubſiſtens, ut videret Principem ex limo emergentem deriſit eam, & inſultans omni contumelia coinquinavit illam; cum Eliſabeth ne conqueſta quidem de tanta injuria, conſurgit, receditque tranquillo vultu, veſtes ſuas deterſura.

Quam moleſtæ fuerint illi hæ omnes perſecutiones.

Jacula, quæ prævidentur, vel minime, vel minus feriunt; etenim conſilium initur ad illa detorquenda; ſed cum accidunt inopinato, & proficiſcuntur inde, unde noſtra oriri deberet ſalus, atque præſidium, quomodonam animum poſſumus non deſpondere? Ita queritur David, & de illis qui prioribus malis poſteriora addiderunt: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt*; & de illis, qui cum eſſent ex numero amicorum ſuorum, cum quibus verſari conſueverat, & qui cum illo convivæ aſſidebant, ejuſdem evaſerant inimici: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique; tu vero homo unanimis &c.* Illuſtris Eliſabeth noſtra duabus repente petita procellis, tamen non deficit. Unde illi expectandum erat ſubſidium, ubi vir illi ereptus fuit? Non ne viri ſui & mater & ſoror illi ſolatium afferre debebant, illam in ditione confirmare, & hanc filiis, poſteriſque Landgravii integram, incolumemque ſervare? E contra inde in eam acerrima erupit tentatio. Utraque conjurant, ut illam de poſſeſſione ditionis deturbent, ut illam cum filiis regiis ædibus extrudant, quaſi fuiſſent illegitimi, & ipſa vagatur, & errat propter ſævitiam illorum, quibus curæ eſſe oportebat: *Tu vero homo unanimis*. Poſt primum hoc certamen, quod in ejus corde præaltum vulnus pepererat, iniquam reperit feminam, quam in egeſtate auxilio juverat, a qua omni proſcinditur contumelia, non ſecus ac olim David laceſſitus fuit a Semei, cum fugeret a facie Abſalonis, qui patrem de ſolio dejecerat.

Quid humana prudentia judicet de perſecutionibus S. Eliſabeth.

Quomodonam excepta fuit Eliſabeth, in Haſſiam quo ſe receperat, habitans in humili tugurio cum Principibus filiis? Inde tamen recedere coacta fuit, quoniam ea corruit habitatio, & in aliam Provinciam illi migrandum fuit. Oculi carnei hoc ſpectaculum ſuſtinere valent, quin erumpant in lacrimas? Quid inquiunt, Princeps adoleſcentula, cujus pulchritudo ingenii laude commendatur, judicii ſoliditate fulcitur, ſapienti vitæ ratione niteſcit, profecto propter raras eas dotes, quibus divinitus prædita fuit, nata eſt ad regimen populorum, extorrem ſe videt a Principatu, ad quem filii ſui jus habent adquiſitum per obitum Ducis parentis ſui, dejectam, & ad extremam rerum omnium inopiam redactam. Ubi eſt qui dentibus non infrendeat contra hujuſmodi barbariem & qui non miſereatur infelicem calamitatem hujus feminæ Principis, quæ facta eſt admirabilior injuſta perſecutione, quam patitur, & tanta hac in extremo infortunio conſtantia? Ecce quid cogitet caro de ſtatu Eliſabeth noſtræ de ditionis ſuæ finibus ejectæ & incolentis in ſtabulo. Sed quid de eadem cogitat fides? Non aliud, niſi quod illam beatam putat, quod ita contumeliis pro Jeſu Chriſto fuerit affecta. Fides forti ejus invidet, & exclamat, quis mihi vim tribuat ſuſtinendi, ſicut tu ſtrenue ſuſtinuiſti, Mulier fortiſſima, ut mihi tutam ſterneres viam ad æternam felicitatem, ad quam perſecutiones via ſunt? Ita quin per humanæ commiſerationis ſenſus conqueratur, fides viva ſanctæ zelotypiæ ardore ſuccenditur. *Auctor Recens.*

Conſideratio de divina providentia erga mulierem hanc virtute præditam.

Fatendum eſt, Chriſtiani, non nihil admirabile inveniri in ea, qua Deus uſus eſt in Sanctam hanc Principem providentia; quam ipſi ſatis aſſequi minime poſſumus, quoniam virtus ejus, lenitas, humilitas, in tam ſublimi genere, & potiſſimum beneficum ejus ingenium, & eleemoſynæ quas large effuſeque donabat miſeris omnibus, nec non tot aliæ ſuaviſſimæ dotes, quæ omnium animos ipſi conciliare debuerant, videbantur in ipſam odia ſolum, contumelias, & perſecutiones ingerere: ſed viam hanc elegerat Deus, ut illam ad altiſſimum Sanctitatis apicem proveheret, & eam redderet prototypum afflictæ virtutis, & conſtantiæ, quæ ex omnibus ictibus, vulneribuſque victoriam reportaret. Providentia tamen nunquam deſeruit illam, effecitque, ut in graviſſimis malis, ei ſemper nova aliqua conſolationis lux affulgeret.

Deus nunquam reliquit illam ſine conſolatione in malis omnibus.

Ærumnæ quas Deus hominibus immittit, ut eos probet, vel ad ſe revocet, cum per ſcelus receſſerunt ab eo, Dei viſitationes vocantur: *Viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum*, S. Job ait, & dicit Deus: *Viſitabo in virga iniquitates eorum.* Utitur Spiritus Sanctus hac figurata dicendi ratione, ut intelligamus, adverſitates eſſe amoris ſui erga nos indicia, ſicuti viſitationes teſtes ſunt affectionis ejuſdem; ideoque hinc ferri poteſt judicium de ingenti amore Dei erga Sanctam noſtram ex multitudine, & varietate ærumnarum, quibus illam expiavit. Illi propoſuit magna certamina ſubeunda, ut ingentes victorias reportaret: *Certamen forte dedit illi, ut vinceret.* (*Sapient.* 10.) Sed poſtquam Deus illam in amaritudinum, dolorumque abyſſo ſubmerſit, tranſtulit eam in magnum Oceanum conſolationum, & deliciarum, & dicere potuit cum Propheta: *Secundum multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* (*Pſalm.* 93.) Quantum me afflixiſti, tantum me conſolatus es, & gaudia, quæ effudiſti in animam meam, æquarunt menſuram pœnarum, ac tribulationum, qua me probaſti. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

Deus nunquam obliviſcitur fidelium ſervorum, quamvis ad tempus eorum periculum faciat, illos tamen educit ex hac miſeria, ut olim S. Job, & S. Eliſabeth noſtram, movendo cor Henrici uſurpatoris ditionis ejuſdem, quam legitimis heredibus reſtituit.

Hic alter eſt ſtatus in quo conſiderare poſſumus incomparabilis Sanctæ noſtræ conſtantiam, quæ rebus cum fratre viri ſui compoſitis, reliquit filiis ſuis principatum ſub tutela eorum, qui propius ſanguinis cognatione eos attingebant, nihilque ſibi reſervans, niſi uſumfructum ſibi ſuperſtiti a viro conceſſum, omnino extremum vale dicere voluit aulæ, ac vitam ducere privatam, in qua Deo ſuo libere ſervire poſſet, & bona ſua impendere in ſanctiſſimis chriſtianæ pietatis exercitationibus. Putabat fore, ut in pace ibi viveret, ſed Deus, qui illam proponere voluit tanquam abſolutiſſimum exemplar conſtantiæ, permiſit, ut in eam recentes excitarentur perſecutiones, quibus cor illius emundaretur. Etenim vix ab aula receſſerat, cum mundus univerſus in eamdem furere viſus eſt, & vulgo creditum fuit, ipſam ſibi omnia mala hæc fuiſſe promeritam. Quoniam pietas ejus, & promiſſio facta Deo, ſe non amplius præbituram aures conditionibus nuptiarum, quæ ſibi a maximis Germaniæ Principibus proponebantur; creditum fuit, illam perſecutionum vi tandem ceſſuram eſſe, & hanc unicam rationem futuram, qua ejus flecti poſſet conſtantia. Hac mente omnibus ejuſdem conſiliis occurritur; omnes adverſantur ejus inſtitutionibus, quas in pauperum gratiam meditatur; Deturbatur de domo, vel potius tugurio, quod ſibi ædificari curaverat, ut eo ſe reciperet, & domus ipſa diruitur. Cum novæ huic procellæ cedendum fuit, Turingiam reliquit, ut ſe conferet in Haſſiam, ubi majorem ſibi requiem putabat inventuram. Sed vix illuc intulit pedem, cum ibi tantæ virtutis fulgor ſuſtineri non potuit; & ſicuti perſecutiones illam quocumque ſubſequebantur, ad eamdem illinc extrudendam, non contumeliis parcitur, neque impotentiæ. Urbem deſerit, & in pagum quemdam ſe recipit, ac in marceriem domus antiquæ ac deſertæ; ac ſub ruderibus ſcalarum ſibi fieri curat caſulam foliis, arborumque ramis contectam ad aeris injurias propulſandas; ibique mortalibus omnibus ignota manens, divinam potius, quam humanam ducit vitam, ibique reliquum vitæ ſuæ ſpatium tranſegiſſet, niſi illi habenda fuiſſet ratio puellarum ſuarum, quæ in hoc parum hoſpitali loco vivere non poterant; & ubi illa ipſa periculum adiit amittendi oculorum aciem ex fumo, quem nullo pacto potuit avertere.

Patientia quam Sancta hæc teſtata eſt in ærumnis omnibus, potiſſimum vero in morte Principis Viri ſui.

Quis non admirabitur inſignem Sanctæ hujus patientiam in omnibus argumentis, in quibus hæc illi exercenda fuit, ſed præſertim cum illi Deus abſtulit virum ejus, optatiſſimumque virum, cujus ſanctificatio ſtetit illi tot lacrimis, tot ejulatibus, tot precibus, tot jejuniis? Cum audiiſſet illum obiiſſe in Italia, dum exercitum duceret in Palæſtinam, nil egit aliud, niſi quod in terram procumbens lacrimiſque madens cum David Rege dixit; *obmutui, quoniam tu feciſti.* Nihil eſt, quod dicam, tu me Deus hoc vulnere percuſſiſti: manum tuam percutientem deoſculor. Ne unum quidem ex crinibus meis darem, ut ille contra voluntatem Dei mihi redivivus redderetur; illud unum peto, ut acceptare digneris votum meum, quo tibi promitto, non alium deinceps præter Jeſum Chriſtum mihi ſponſum futurum: *Ita pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.* Admirabile documentum omnibus afflictis animabus, ex quo diſcunt ſacrificium omnium ſtudiorum, & affectionum ſuarum ad majorem ſupremæ Dei voluntatis gloriam referendum. Hoc liquido probat invictam fortis hujus mulieris conſtantiam; cujus tamen alia inſigniora proferemus exempla.

Deus! Quam triſte ſpectaculum oculis hominum, ſed quam jucundum in oculis Dei, & Angelorum videre illuſtrem hanc viduam, quæ manu tenens duos parvulos Principes pupillos filios ſuos, cogitur per contumelias ſibi a ſubditis ſuis illatas, ſolum vertere, ac tanta premitur infelicitate, ut noctu in ſtabulum ſeſe recipere teneatur.

Quid ergo! fieri ne poteſt, ut Deus, qui in Scripturis vocatur Protector Viduarum & Orphanorum, minime coerceat barbari fratris impotentiam, & populi, qui omnis expers

expers eſt humanitatis, ingratitudinem non puniat? Ubinam igitur præſtatur fides eorum bonorum, quæ eleemoſynis fidelium ſe largiturum ſpopondit Deus? Numquid ſtabulum eſſe debet merces tot noſocomiorum a fundamentis extructorum? Et quæ fuit tot miſeris auxiliatrix, eſſe debet totius orbis ludibrium & peripſema?

Bona verba quæſo, carnis prudentia, Sapientia mundi nimis cæca es, & nimis infirma, ut hæc myſteria aſſequaris. Malum tantum non eſt, quantum putas. Hoc eſt commercium; jactura aliqua ſubeunda eſt, ut lucrum referas; dandum eſt, ut accipias. Si Principem noſtram conſuluerimus, dicet quidem nobis, Deum ſibi cum fenore omnia reddidiſſe, & in hac injuſta perſecutione in corde ſuo guſtaſſe delicias, quas ex hoc ſuo cum Deo commercio percepit.

Renuit in Pannoniam reverti ad Patrem, ut viveret ſuxta dignitatem ſuam.

Pannoniæ Rex Principis noſtræ parens ob cauſſas, quas divinando aſſequi minime licet; quæ tamen in illius honorem minime cedunt, ut liquet ex hiſtoria, tandem locutus eſt, & paternus amor excitus, ad filiam miſit legationem, quæ illam invitaret, ut in Regnum patrium reverteretur, ubi omnes illius tenebantur deſiderio, eum habitura locum quem ipſius dignitas poſtulabat. Sed hoc renuit facere Eliſabeth, & tanquam peſſimum perhorruit conſilium; magis enim extimuit Aulæ delicias, & honores, quam infeſtiſſimorum hominum perſecutionem. Pauci ſunt, qui foveant ſenſus hos Chriſtianos, & qui opes, & delicias vitæ commodioris intueantur, tanquam ingentes obices ſanctitati, & virtuti, & pauciores adhuc, qui inter Cæli beneficia numerent adverſitates, & perſecutiones, qui percutientem dexteram deoſculentur, vel qui ita ſeſe Dei mandatis ſubjiciant cum abſolutiſſima divinæ voluntati obedientia. Nihilo ſecius ad unicam hanc normam componenda, erigendaque eſt virtus, & ſanctitas noſtra ad magnæ hujus Principis exemplum. Quæ vivendi, agendique ratio in tertio vitæ ſtatu, quem fuit amplexa, apertius innotuit.

Mens, quam Deus immiſit illi Religionis ingrediendæ.

Et ſane Deus, qui illam ex Aula eduxerat, atque tot tentationibus præparaverat, ut illam ad altiorem perfectionis apicem attolleret, immiſit illi vitæ Regularis deſiderium; & quamvis caritatis exercitatio ei plurimum placeret, præſertim vero ex quo Pontifex Summus Gregorius IX. illectus narratione virtutis ejuſdem, partes ejus ſuſcepit, ac in clientelam ſuam perſonam, bonaque ejus accepit; ita ut deinceps illa Deo ſervire, & proximo ſuo poſſet opitulari, quin aliquis illi adverſaretur: Tamen Deus illi ſtatum adhuc perfectiorem oſtendit: *Adhuc excellentiorem vitam vobis demonſtro*, (1. *Ad Cor.* 12.) ut Apoſtolus loquitur. Hæc autem fuit Evangelica Perfectio in S. Franciſci familia, cujus non ita pridem Eccleſia Apotheoſim celebraverat. Sibi enim perſuadebat fore, ut cum nullum haberet cum hominibus commercium, homines obliviſcerentur ſui, & ceſſarent ſibi moleſtiam afferre inter hæc pietatis exercitia. Hoc itaque iniit conſilium ipſa die Paraſceve, putans, ſe per hunc ſtatum Salvatori crucifixo ſuo ſimiliorem futuram; & ibi Deus, qui potius omnem naturæ ordinem perturbaturus erat quam pateretur Sanctæ huic animæ cruces, ærumnaſque deeſſe; præparavit illi tribulationes magis exquiſitas, magis internas atque graviſſimas.

Ad unguem paret imperiis directoris ſui, & Confeſſarii quem illi aſſignaverat Pontifex.

Pontifex, qui ejus conſilium probaverat, miſit ad eam pallium illud, quo uſus fuerat S. Franciſcus, dum viveret, quod Sancta illa tanquam munus pretioſum accepit; quippe quod ob oculos ejus ſtatuebat arctam paupertatem, quam fuerat profeſſa, ſimulque pro ſuperiore aſſignavit illi eum, quem illa ſibi directorem adſciverat, cum adhuc vir ejus viveret, cui tanquam Deo ipſi parebat, cujus munere apud eam fungebatur. Hoc autem accidit, ut manus extrema admoveretur patientiæ Eliſabeth, & in ea abſolutiſſimum conſtantiæ & fidelitatis exemplar perficeretur.

Homo hic vere inſignis erat ſanctitate, habita morum, meritorumque ſuorum ratione, neque potuerat illa alterum deligere, qui majori lumine polleret, vel ab omni cupiditatis ſuſpicione vacaret. Sed vir erat ſanctitatis auſteræ, nimiæque ſeveritatis, & qui eodem in loco præter propter alios omnes, quibus præerat, ac ſeipſum habebat, neſciebatque quid eſſet humanæ infirmitati indulgere.

Mortificationes, quas exercere conſueverat, tum ante, tum poſt Religionem ſuſceptam.

Nequaquam ſatis eſſe putans ei pati, quæ amori proprio videri ſolent aſperrima, quæ generi, nobilitati, ſtatui, ætatique duriſſima, atque non ferenda; priſtinis auſteritatibus addidit novas pœnitentias, quæ brevi ad extremum evaſerunt. Victum ſibi præbebant olera, & legumina nullo ſapore condita, cum pane ſecundario. Veſtis illius lanea erat craſſior, nullo imbuta colore, & pretii nullius. Cum illius indumenta rupta erant, vel uſu nimis trita, illa cum malis panni fruſtis reſarciebat; cumque omnia pauperibus eſſet largita, nendo victum ſibi comparabat. Marpurgi exiguam ſibi domum extrui juſſerat, de argilla tabuliſque adeo male compactis, ut illam minime tueri poſſent ab injuriis temporum & ab aeris inclementia; aliaſque in ſe exercebat auſteritates, quas recenſere longum eſſet, & a quibus director ſuus, licet auſteriſſimus, eam juſſit abſtinere: *P. Croiſet.*

Idem ſequitur argumentum.

Director hic, de quo locuti ſumus, in Sancta noſtra diſcipula nactus eſt, quæ iis plura præſtabat, quæ verbo, aut exemplo præſcribere poſſet; & licet eſſet auſterus, illi omni opus fuit prudentia, ut illius fervorem moderaretur, retegeret eleemoſynas, & caritativum ardorem cohiberet, prohibens ne convivas ſuos adhiberet leproſos, & ægritudinis alicujus contagione infectos; ne oſtiatim panem emendicaret, ſicut illa ſtatuerat, & ne quid ſupra Evangelicam Paupertatem auderet, ſemet redigens ad mendicitatem. Ad id rationem habuit & dignitatis illius, atque gracilitatis. Vitæ norma, quam illi præſcripſit, fuit ſeſe cum puellis ſuis exercere in pauperum cura, in noſocomio, quod illa extrui juſſerat, & quod ſuis bonis alebat, cum interim labore manuum ſibi victum compararet.

Auſterus Director illam gravioribus mortificationibus angit.

Huc uſque omnia ex ordine proficiſcebantur; ſed cupiditas illam adhuc perfectiorem reddendi, eamque ad ſublimiorem ſanctitatis gradum extollendi cauſſa fuit, ut in alios exceſſus erumperet, cum nollet, Sanctam noſtram ulla in re ſibi indulgere. Imperioſius enim, ac durius illam allocuta eſt, & eo ſane modo, quo aliam quamlibet minus confirmatam patientiam labefactaſſet. Quidquid in obedientia moleſtius eſt, ad illius voluntatem infringendam adhibetur; quidquid illa cupit, interdicitur; quidquid illa timet, imperatur, & director hic, cui illa cor ſuum aperiebat, locum inveniebat, ubi illi ſenſus inerat acrior, ut ipſas etiam amoris proprii radices ſtirpitus convelleret. Intellexit ille, eam tenera dilectione complecti virgines, omnium calamitatum ejus ſocias, & quæ rebus omnibus nuntium miſerant, ut cum illa reliquum vitæ ſpatium tranſigerent. Iniit ille conſilium eas ab Eliſabeth ſejungendi, eaſque huc, illuc ablegandi, non ſine imperio de illis non amplius videndis, quod Sanctæ noſtræ adeo fuit amarum, ut quæ propter Deum filiorum ſuorum amori abrenuntiaverat, non ſatis haberet virium ad hæc amicitiæ vincula infringenda. Oculi ejus facti ſunt duo lacrimarum fontes, & tempus, quod malorum omnium eſt medicina, vix, & ne vix quidem vulnus tantum curavit; & omni opus fuit patientia, atque obedientia, ut duriſſimæ huic ſeceſſioni adquieſceret. Nec ſatis; alias addidit illi ſocias imperioſiores, quarum ingenium aptiſſimum erat ad fatigandam miſeræ hujus Principis patientiam. O Deus! quas cruces! quæ tentatio! quæ patientiæ exercitatio! Earum rudem ferre ignorantiam, importunas, publicaſque increpationes, juges cenſuras, animi acrimoniam, relationes omnium actuum ſuorum, qui communi earum ſuperiori identidem afferebatur! Hoc ſane erat vitam ducere mancipii potius propriam, quam ancillæ, quamlibet ipſi conſolationem negare, auferre illi æquiſſimam, & ſuaviſſimam vitæ voluptatem, ne unam quidem illi permittere, in cujus ſinum animi ſui dolores effunderet.

Aſperitas qua director Sanctā excepit, quæ ſane probari minime poteſt.

Sed quantumvis Sanctus eſſet iſte director, a quo per vias adeo duras, aſperaſque ducebatur, ut ab iis omnibus convelleretur, quæ hominem ſapiunt: neſcio, utrum hæc agendi ratio probanda ſit; cum enim eſſet ille ſuopte ingenio ſeverus, & excitaretur magis imprudentibus earum commentis, quibus illius curam demandaverat, & quibus nimium faciles præbebat aures adverſus Principem hanc omni culpa vacuam, cujus ſilentium, atque patientia pro criminum confeſſione habebantur; ſæpe inſurgebat in illam, illique ingerebat convicia, & certus ſum, Summo Pontifici, a quo ille ſuperior conſtitutus fuerat, minime probatum fuiſſe, ut manibus, ac vulneribus non abſtinerent. Sed patiens nimis erat Eliſabeth, nec vel minimum conquerebatur, vel corde ſuo aliquem indignationis ſenſum fovebat; & per patientiam, cujus pauca exiſtunt exempla, merita eſt hoc elogium quod illi tribuit Vincentius Bellovacenſis unus ex eruditiſſimis ſæculi ejus ſcriptoribus, eam videlicet ſpeculum, & exemplar ſanctitatis fuiſſe in omni ſtatu, in quo illam Providentia conſtituit, ut omnibus eſſet exemplo fidelitatis erga Deum in proſpera, æquabilique fortuna, & invictæ conſtantiæ in adverſis. Hæc duo theatra ſunt, vel potius magna certamina, in quibus inſignivit illa virtutem ſuam, & ad mortem uſque perſeveravit, quæ fuit vitæ ſanctiſſime geſtæ ſimillima, & quam infinita miracula ſubſecuta ſunt, inter quæ mortui ſexdecim in vitam revocati, teſtantur, quam pretioſa fuerit in conſpectu Domini mors illius poſt adeo prolixam patientiæ, atque tot heroicarum virtutum exercitationem.

Deſcriptio mortis ejus.

Regularem ſtatum amplexa, mundo prorſus erat mortua; non vivebat ultra niſi amore Dei ſui, a quo nunquam oculos avertebat. Vita ejus jugis erat oratio; oratio autem ſublimis, nec intermiſſa contemplatio. Amor, & confidentia in Deipara erat illi accepta devotio: de illa nonniſi cum impetu amoris loquebatur. Denique voluit Deus diluculo non vulgarem hanc remunerari ſanctitatem. Illi Jeſus Chriſtus apparuit, eamque in Beatorum requiem accerſivit. Diei obitus ſui certior facta, fervoris incremento, atque inſtauratione ſeſe præparavit, & quamvis levi tantum laboraret morbo, voluit tamen extremis refici Sacramentis, quæ tanta cum pietate recepit, ut omnes qui aderant, admirarentur. Plures habuit ſermones ædificationis refertiſſimos, & mirum in modum patheticos de laudibus, ac ſuavitate amoris Dei, & de terrenarum rerum vanitate. Triduo antequam animam efflaret, oravit, ne quis in cubiculum ſuum ingrederetur, niſi qui opem illi ad bene moriendum afferre poſſent. Tandem beatum reddidit Spiritum Deo annos nata quatuor ſupra viginti, quorum quatuor poſt viri obitum jugibus tribulationibus exagitata in ſua viduitate tranſegit.

Quid ex Sanctæ hujus vita diſcere valeamus.

Hunc vobis prototypum inſpiciendum propono. Inter opes, & florentis aulæ delicias Deo fidelis extitit, quia hæc omnia cor illius allicere valuerint. Poſſedit illa, quin ab illis poſſideretur, iiſdemque æquo, magnoque animo caruit. Heu! quot mortales hoc exemplum pudore ſuffundet, qui cum ſupra cete-

ceteros evehuntur, obliviſcuntur ſui, ſimulque officiorum & pietatis chriſtianæ, & ſtatus ſui quin cogitent, ſe a Deo tot beneficiis auctos fuiſſe, ut ſint aliis exemplo, ut proximi juvent miſeriam, ut auctoritatis ſuæ pondere Religionem, & Dei majorem gloriam promoveant. Quænam ratio illis erit reddenda Deo de uſu tot prærogativarum, ac beneficiorum, quæ a Deo perceperunt? Denique ſicuti inſignis hæc Sancti non minus conſtans, atque fidelis extitit Deo in omnibus tribulationibus ſuis, & in perſecutionibus, quibus placuit Deo illius probare virtutem; ita ex hac quoque nota virtutem noſtram metiri debemus. Sexcenti enim ſunt, qui gloriantur, & ſeſe in pietate recte ſolidatos putant, dum nulla res eos ſollicitos agit, iiſque nihil deeſt, qui, ut olim David, dicunt: *Dixi in abundantia mea: non movebor in æternum.* (*Pſ.* 29.) Se putant immotos, & inconcuſſos; ſed ubi vel levis accidit calamitas, ubi vel minimo quatiuntur ictu, decidunt, & omnis eorum conſtantia evaneſcit. *Avertiſti faciem tuam a me, & factus ſum conturbatus.* (*Ibid.*) Quapropter proprie loquendo, nemo virtute præditus vocari poteſt, niſi virtus ejus traducta fuerit per ignem hunc ærumnarum, calumniarum, contumeliarum, perſecutionum humanarum, quæ patefaciunt virtutis ſoliditatem, & patientiæ noſtræ magnitudinem, eique ut Sanctus Jacobus Apoſtolus loquitur, extremam perfectionem adjiciunt. Vos autem quæ ut illa mundum contempſiſtis, & reliquiſtis, & Religioſiſſimæ hujus Principis exemplum ſecutæ eſtis; quandoquidem ſub illius vexillis pugnatis, ad eadem ineunda certamina voſmet præparate: *Certamen forte illi dedit, ut vinceret.* Sed opus eſt, ut ad illius exemplum victoriam veſtram perſequamini; videlicet ut omnes mundi ſenſus, & placita horreatis, ut de illius contemptu gloriemini, ut voſmet ipſas vincatis, ut Salvatoris crucem geſtetis, & conſtanter in hujuſmodi exercitationibus perſiſtatis ad mortem uſque, ut mereamini beatæ Æternitatis coronam, quam vobis ex animo exopto &c.

PRO S. JOANNIS A CRUCE,

Primo Excalceatorum Carmelitarum Religioſo, Panegyrico.

MONITUM.

AD texendum S. Joannis a Cruce elogium, ſatis eſſet aſſerere, hunc incomparabilis S. Thereſiæ diſcipulum fuiſſe, primum Ordinis ejuſdem Religioſum, & ſocium illius in inſtituenda congregatione fratrum contemplationi deditorum, & electorum ad Carmelum in priſtinam perfectionem reſtituendum. Hæc tamen illuſtris qualitas ad ſummum quædam eſſet Panegyricæ orationis adumbratio, niſi ipſius S. Thereſiæ teſtimonio ſciremus, Beatum hunc Diſcipulum per extaſim rapi ſolitum fuiſſe in Deum, perpetuo contemplationi abditum fuiſſe, & ſemper, ut ita dicam, ſui minime compotem, perditumque in obſcura hac ſimul, ac ſplendida nocte animæ, quam graphice nobis deſcriptam reliquit in operibus ſuis: hominem qui in cælo amplius, quam in terris vixit, verbo, Sanctum inſignem, qui omnem mutuatus eſt Spiritum Sanctæ illius, quæ ſæculi ſui miraculum extitit.

Ubi reor operæ pretium eſſe admonere, licet vitæ contemplationi dedita, extaſes, raptus Spiritus non vulgaribus repleti luminibus, & voluntatis ignis divini ardoribus æſtuantis ſint proprius character S. Joannis a Cruce, in hoc tamen conſtituendum non eſſe vel totum Panegyricum, vel præcipuam orationis partem. Auditor quippe nullum inde fructum percipere poſſet, niſi ſterilem admirationem gratiarum, quibus Deus Sanctos aliquot cumulavit, quod neque exoptandum neque quærendum eſt; ſed puto inhærendum eſſe præclaro, quod nobis reliquit, exemplo vitæ pauperis, humilis, ferventis, mortificatæ, zelo ſuccenſæ, ac patientis in graviſſimis doloribus, maximiſque perſecutionibus, ſive ante, ſive poſt Ordinis Carmeli reformationem, in qua adeo feliciter operam ſuam collocavit.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Sermonum Synopſis hujus Argumenti.

Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus. Galat. 2.

I. SAnctus Joannes a Cruce adeo affluenter particeps fuit vitæ, quam nobis dedit Salvator hominum, ut difficile ſit hoc intelligere, & mox conſtituere tanquam aptiſſimum characterem Sancti hujus imitatoris vitæ J. Chriſti.

Quapropter ut æquum hujus rei animo conceptum aſſequamini, vobiſmet fingere debetis hominem, cui nullum ſit ultra cum terra commercium, quamvis corporis ratione iſtic ſubſiſtere teneatur, cui nullum ſit cum ſenſibus vinculum, quamvis illis uti cogatur, ad ea exequenda, quæ ſibi præcipiuntur a Domino; hominem, qui totus in cælo eſt, totus in ſinu divinitatis, totus in occupatione Beatorum; prorſus divinus contemplator, qui jam in vitam alteram migraſſe videtur, quemadmodum anima corporeis ſoluta vinculis migrat in cælum.

Hanc nobis tabulam magni hujus hominis nobis proponit hiſtoria, quam in lucem vocare adnitar, oſtendens Deum illi triplicem Jeſu Chriſti vitam communicaſſe.

Prima eſt vita patiens, quæ illum incepit attollere in Deum, deſtruendo peccatum, ac illum unice ſervituti Dei devovendo.

Secunda eſt vita divina, quæ illum ab omnibus ſenſibus, rebuſque materialibus expedivit ut repleret eum donis Spiritus Sancti, dono Prophetiæ, dono miraculorum, & ſanctitatis Dei, qui curam ſuſcepit illum in omnibus actibus deducendi.

Tertia eſt vita glorioſa, quæ illum Beatum effecit ante obitum per illius transformationem in Deum, nec non per participationem gratiarum earum, quibus prædeſtinati perfruuntur in cælo. Hæ vitæ ſibimet invicem ſunt diſpoſitiones unius ad alteram, alterius ad tertiam, & tres ſimul oſtendent horum verborum veritatem: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Veni, ut vitam habeant; hæc prima eſt: ut illam habeant abunde; hæc eſt altera: atque ut abundantius habeant; hæc eſt tertia: *Ex edito Sermone Auctoris Anonymi.*

II. *Qui facit concordiam in ſublimioribus ſuis.* Job. 25. in ſe uno ſimul omnes collegit virtutes, ſed eas, quæ difficillime ſimul conciliantur. Hoc oſtendi poteſt in tribus Elogii partibus.

Primo magnam conjunxit innocentiam cum auſteriſſima pœnitentia, & mortificatione, qua Sanctus aliquis corpus ſuum maceraverit, non quidem ut pro peccatis ſuis ſatisfaceret, ſed ne illa committeret. Liquet quam raro accidat, ut quis diutius ſartam tectamque Baptiſmi ſui ſervet integritatem; tamen Sanctus Ambroſius, qui tot direxerat conſcientias, aſſerit, ſe facilius inveniſſe mortales, qui innocenter totum vitæ ſuæ ſpatium abſolverant, quam qui ſemel facta innocentiæ jactura, dignam criminibus ſuis egerint pœnitentiam; unde conjici poteſt, quænam fuerit ſanctitas, ac meritum Joannis noſtri, qui vitam ab omni culpa alienam ſervavit, & exercuit alteram cum maxima, quæ fingi poteſt, ſeveritate, cum invicta patientia.

Secundo. Altera concordia, quam fecit, & quæ non minorem virtutem indigitat, eſt conjunxiſſe altiſſimum contemplationis verticem cum laboribus vitæ Apoſtolicæ, non ſolum peccatorum converſionem procurando, verum etiam pios homines ad altiſſimum perfectionis gradum extollendo, quæ dici poteſt ſublimior quædam, & prorſus ſingularis ſpecies Apoſtolatus: *Qui facit concordiam in ſublimibus ſuis.*

Tertio. Altiſſimam humilitatem cum ſublimi ſcientia, probatiſſimam ſanctitatem, & celeberrimam ſui nominis exiſtimationem conjunxit. Hæc admirabilem quodammodo commixtionem fecerunt in vita Sancti hujus, & ſingularem illius characterem conſtituunt: *Qui facit concordiam in ſublimibus ſuis.*

Aliter inflecti poteſt hoc argumentum, oſtendendo in Sancto Viro hoc III.

1. Sublimem perfectionem animæ uſque ad altiſſimum contemplationis gradum aſſurgentis: hæc enim vitæ ratio præſtantiſſima, & optima pars eſt, quemadmodum Filius Dei Magdalenæ affirmavit: *Mariam optimam partem elegit*; & quemadmodum hoc vitæ genus ſupponit animam, quæ tota ſit Dei; cujus ſpiritus non niſi de magnalibus Dei cogitet, & quæ non alium habeat finem, niſi ut placeat Deo; oſtendere poſſumus, quomodo Sanctus hic noſter ad hanc vitæ perfectionem ſeſe diſpoſuerit per ſolitudinem, mundi ſeceſſionem, ſuorum affectuum victoriam ſuimetipſius abnegationem & perfectam creatorum bonorum omnium paupertatem, ac tandem per internecinum ſui corporis odium, quo meritus eſt, ut illum Deus puriſſimis ſpiritus deliciis cumularet.

2. In hoc eodem ſancto Viro conſiderari poſſunt merita erga Deum, & Eccleſiam in actuoſæ vitæ laboribus; cum ſtatim operam dederit ſaluti, & converſioni peccatorum, &

mox

mox utilius reformationi Ordinis de Carmelo; ubi latior aperitur campus diſſerendi de perſecutionibus, contumeliis, humiliationibus, verbo, pœnis omnibus, quas ob cauſſam hanc conſtanter ſuſtinuit.

IV. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Matth. 16. Sicuti Sanctus noſter nihil ſibi propoſuit, neque aliud quæſivit, quam ſequi, & imitari Jeſum Chriſtum, ejuſque pro virili parte vitam, & mortem imitari, ita omnia ſcrutatus eſt media, omneſque replevit conditiones, quas Salvator exquirit ab iis, qui illius eſſe volunt veri, perfectique imitatores; conditiones, inquam, quæ in textus mei verbis continentur, & quas Beatus Joannes a Cruce ad unguem adimplevit.

1. Opus eſt, ut qui Chriſtum ſequi velit, qui nempe ſe illum imitari, ejuſque dogmata velit implecti, opus inquam eſt, *ut abneget ſemetipſum*, videlicet nihil naturæ corruptæ concedat, vitia, cupiditateſque ſuas edomet, & nuntium mittat iis, quæ ſibi ſunt antiquiſſima, ut omnino ſequatur Dei voluntatem, quod præſtitit S. Joannes a Cruce, eo modo, ut nihil in eo fuerit deſiderandum.

2. *Tollat crucem ſuam.* Legenda tantum vita eſt Sancti hujus, ut liqueat ipſum ne momento quidem caruiſſe tribulationibus, mortificationibus cum internis, cum exterioribus, interioribus, externiſque perſecutionibus, pœnis, amariſque doloribus.

3. *Et ſequatur me*; Sed ſequens, & Salvatorem imitans in laboribus, atque tentationibus, guſtavit etiam gaudia, & conſolationes, quas illis communicat, qui ſibi fidelem ſerviunt ſervitutem.

V. *Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ad Galat. 6. Sanctus ille, cujus laudes concinnamus, cum ideo Joannis a Cruce nomen accepiſſet, ut vitam ſuam Cruci, & paſſionibus Salvatoris conformaret, tanquam illud quod glorioſiſſimum in mundo cenſebat, jure dicere potuit cum S. Paulo, ſe in Domini Cruce gloriari, & nihil ſibi antiquius eſſe, quam fieri participem paſſionum ejus, qui pro ipſo tantum ſuſtinuerat, & qui gloriam hanc omnibus gaudiis, & honoribus, Mundi hujus prætulerat: *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem confuſione contempta.* Ubi oſtendere licet, S. Joannem a Cruce jure glorioſum hoc ſibi nomen promeruiſſe, ejuſque officium repleſſe.

1. Quia particeps fuit ignominiarum Crucis, quibus ſe ipſum præparavit profunda humilitate, quæ effecit, ut ille concupiſceret & ſuſtineret maximas contumelias, & inſignes mortificationes ardentius, quam mortales in ſæculo laudes, & hominum plauſus aucupentur.

2. Quia particeps fuit dolorum, & cruciatuum Crucis propter injurias, quas ab hominibus paſſus eſt, & admirabiles mortificationes, quas ille impoſuit ſibi.

3. Sed particeps quoque fuit ſuavitatum Crucis per gaudia, atque interiora ſolatia, qui illius veluti fructus ſunt, & per gratias, quas illis largitur Deus, qui aliquid propter amorem ſuum ſuſtinent.

VI. *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego Mundo.* Galat. 6. Mundus mihi eſt tanquam crucifixus, & viciſſim ego Mundo ſum veluti crucifixus. His verbis teſtatur Apoſtolus contemptum, in quo ipſe Mundum habet, dicens illum in mente, conceptuque ſuo idem eſſe ac homo crucifixus, quem Judæi horrebant, & ſpectabant tanquam objectum omnium nequiſſimum: *Maledictus, qui pendet in ligno.* (*Galat.* 3.) Videlicet, ſicut Mundus neminem habet in pretio, niſi viros principes, divites, & qui aliquo honore decorati ſunt, ita e contra ipſum exoptare, ut hic idem Mundus ipſum reſpiceret tanquam mortalium omnium noviſſimum, atque confuſione, opprobriis, & maledictis oneraret, quod olim fiebat cum homine in Cruce pendente: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego Mundo.* Verum cum per mutuum hunc contemptum, quo Mundus Sanctos, Sanctique Mundum contemnunt, ad editiſſimum perfectionis gradum liceat pervenire; hinc judicetis, volo, ad quem Sanctitatis gradum S. Joannes evaſerit; quia mea quidem ſententia hic æquiſſimus character eſt, qui de illius meritis, atque virtutibus aſtrui valeat. Itaque in parte priori videbimus, quomodo ipſe Mundum contempſerit, ejuſque placita, & bona conculcans, ita ut Mundus Joanni fuerit tanquam crucifixus: *Mihi mundus crucifixus eſt.*

Secundo, quomodo gaudium, deliciaſque ſuas duxerit, conviciis, & perſecutionibus affici a Mundo, videlicet ab inimicis Mundi, ſanctorumque Chriſtianæ fidei dogmatum, non aliud quærens, quam placere Salvatori Mundi, qui in præmium voluptatum, & gaudiorum Mundi, quæ ipſe flocci fecit, ipſum cumulaverit gratiis, muneribus, lætitia, opibuſque interioribus: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.*

VII. *Dedit illi ſcientiam Sanctorum, honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius.* Sap. 10. S. Joannes a Cruce unus ex illis extitit, qui præ ceteris fuerit Dei ſcientia repletus; & cujus labores exitum nacti ſunt glorioſiorem, & quem Deus largius benedictionibus ſuis cumulaverit. Quæ ſingillatim ſunt oſtendenda.

1. *Dedit illi ſcientiam Sanctorum.* Sanctorum ſcientiam aſſecutus eſt, quoniam unus eſt ex illis, qui majori cura ſecuti ſunt Evangelii placita; quoniam paupertatem ad extremum uſque gradum pertulit, non ſolum in Religionis ſtatum ingrediens, verum etiam ibi vivens in adeo arcta obſervantia, ut ſibi negaret plurima, quæ ſeveriſſimi etiam ſibi permittunt; Crucis Amorem ad exceſſum uſque protulit, ut ſemetipſum ſemper in omnibus ſenſibus, ſine diſcrimine, & auſteriſſime mortificaverit; ita ut ſecundum complurium Sanctorum exemplum debuiſſet a corpore ſuo veniam expoſcere tantæ crudelitatis. Præterea poſſidebat ſcientiam Sanctorum, quod abditiſſima revelabat myſteria, quæ quidam veluti fontes fuerunt, unde hauſit præclaram & admirabilem myſticam Theologiam, quam doctiſſimus quiſque, & in hac ſcientia perſpicaciſſimus admiratur: *Dedit illi Deus ſcientiam Sanctorum.*

2. *Honeſtavit illum in laboribus ſuis.* Quia recentis familiæ patrem illum conſtituit, quæ amplexa eſt praxim editiſſimorum Canonum Evangelii. Fundatio tot domorum Religioſarum, in qua non minimam partem obtinuit, ut ibi Deus colatur, & glorificetur, reddidit nomen ejus immortale; & Eccleſia, quæ gaudet fructu laborum ejus, poſt obitum inter beatos primum, deinde inter Sanctos adnumeravit.

3. *Complevit labores illius.* Coronavit Deus labores ejus gloria, quam tot virtutibus, laboribus, ærumnis, paſſionibus, & ſanctis operibus meritus eſt, quæ illum effecerunt perfectum Jeſu Chriſti exemplum, quod Salvator ipſe voluit inſigni miraculo comprobare, & quod de alio non legimus; quoniam ipſe voluit in Sancti noſtri oſſibus, & reliquiis ſemetipſum repræſentare, ibi viſibiliter apparens modo veluti Cruci confixus, modo veluti puer in ſtabulo poſitus, mutata ſemper forma, & figura ad innuendam unionem, ſimilitudinem, & conformitatem, quam ille ſemper ſecum habuerat in omnibus actibus vitæ ſuæ.

Chriſto confixus ſum Cruci. Galat. 2. Auſtera Sancti hujus vita locum præbet traducendi ad ipſum hæc S. Pauli verba: VIII.
Chriſto confixus ſum Cruci, atque oſtendendi; 1. ipſum toto juventutis ſuæ ſpatio ſibi in partem vindicaſſe Crucem fugiendo ſocietatem ſibi æqualium, qui in licentia vivebant, evitando puerilia, vacando orationi, atque mortificationi, tanquam juvenis athleta, qui ſeſe præparat certamini, exercens pœnitentias ætatis ſuæ pares, ut ſe ſe ad majores diſponat.

2. In Religione, quam amplexus eſt, profeſſum fuiſſe vitam Crucis per fidem practicam officiorum regularium, cum inter ceteras communitates illam elegerit, ubi obſervantia religioſiſſime ſervabatur, regulæ ipſi adjiciens voluntarias mortificationes, repetitis jejuniis, rigoribus temporum, incommodis æſtus, & frigoris, quibus ſe objiciebat, ciliciis, horrentis ſetis ſubucula, frequentibus flagellationibus, jugibuſque auſteritatibus.

3. In recenti reformatione, & in magno domorum Ordinis ſui numero, docuiſſe Religioſos ſuos amplecti Crucem Jeſu Chriſti; perſuadendo hunc ſpiritum fuiſſe Sancti Inſtitutoris ſui, adhibendo auctoritatem quatenus Superior, & Provincialis, & addendo exemplum, quo nihil eſt efficientius &c.

Licet Sancti omnes mereantur cultum, & venerationem fidelium, quocumque titulo eos colat Eccleſia Apoſtolorum, IX.
Doctorum, Martyrum, Confeſſorum &c. Sunt tamen qui propter labores, & merita ſua erga Eccleſiam coli mereantur coram Deo his glorioſis nominibus, licet nomen non gerant, neque Fideles vulgo illis deferant aliquam ex hujuſmodi laudibus inter Sanctos. Hoc ego oſtendere aggredior in Sancto Joanne a Cruce Coadjutore S. Thereſiæ in reformatione Ordinis de Carmelo primi Religioſi recentis hujus Ordinis, docti viri, contemplationi diditi, magni, & perſpicacis Doctoris in Myſtica Theologia, cujus ſecreta omnia aſſecutus eſt. Hic probatiſſimus eſt conceptus paſſim de inſigni hoc Sancto viro; ſed longe aliter de illius meritis, & ſanctitate ſentietis, ſi vobis oſtendero.

1. Illum zelo, & laboribus ſuis, cum non parum contulerit reformationi Ordinis, qui a priori fervore declinaverat, meritum fuiſſe nomen Apoſtoli, quia hoc genus converſionis Deo magis glorioſæ, magis infrequentis, atque difficilis præ inſignium peccatorum converſione, & quæ zelum prorſus peculiarem expoſcit.

2. Si animum advertimus ad lumina, quibus Eccleſiam illuſtravit ſcriptis admirabilibus, quæ gradatim manu ducunt ad editiorem perfectionis apicem, illi eximii Doctoris dignitas detractari non poteſt.

3. Denique per Cruces, perſecutiones, & paſſiones, quas pertulit pro cauſſa adeo juſta, qualis eſt fratres ſuos perduxiſſe ad vitæ Religioſæ perfectionem; hæ perſecutiones inquam illi comparaverunt gloriam Martyris generoſi, quod in triplici parte ejuſdem elogii videbimus.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, ex quibus rerum copia hauriri poteſt ad has Sermonum ſtructuras exornandas: & Auctores de hoc argumento tractantes.

PAter Joſeph de Jeſu Maria Carmelita Excalceatus Hiſpanice Sancti hujus vitam complexus eſt ſatis ingenti volumine, quam in Gallicum Sermonem tranſtulit ejuſdem Ordinis Sacerdos. Vitæ Scriptores.

Altera vita prodiit compendioſior, præfixa operibus Sancti ab Hieronymo de S. Joſeph.

Baillet in Vita Sanctorum ſub die 14. Decembris aliam latiorem haberet, niſi de more prætermiſiſſet ea quæ in Sancto hoc Viro magis ſingularia ſunt, & ampliora.

In Hiſtoria Carmelitarum Excalceatorum ſermo fit de